

Iuris publici Europaei de damno Regni Statu Epistola prima ad Nobilem quendam Germanum 1659.

JURIS PUBLICI EUROPÆI

De

DANIÆ REGNI STATU

EPISTOLA PRIMA

Ad Nobilem quendam Germanum.

Anno M DC LIX.

Typographus Lectori.

CUm res tædij plena ſit pro cognoſcendo ſtatu regnorum atque provinciarum Europæ diffuſa & prolixa volumina pervolvere, quibus plerumq; aliena immiſcentur, ſæpè etiam ea deſunt, quæ à proximis bellis & viciſſitudinibus, vel aliis ex cauſis immutata deprehendimus; operæ pretium me facturum eſſe exiſtimavi, ſi jus publicum Europęum aliquot Epiſtolis comprehenſum tibi exhiberem, cujus ſpecimen erit Daniæ regni brevis deſcriptio, quod hodiè cùmprimis in theatro eſt, & belli calamitates experitur. Neq; enim jus publicum in ſola Imperij Germanici notitia conſiſtit; Habent etiam reliqua regna leges Statûs, adeòque jus publicum, quod pro gentium moribus & inſtitutis à ſe invicem diverſum eſt. Singula liberè ſed ex fide optimorum hiſtoricorum & ſcribentis experientia propoſita invenies, omnia tamen absque injuria cujuscunque, quod hîc ſemel dixiſſe ſufficiat: Tu hiſce conatibus fave & vale feliciter.



Juris publici Europæi
De
DANIÆ REGNI STATU.
EPISTOLA PRIMA
Ad Nobilem quendam Germanum.



Æpè à me petiisti, Vir Nobilissime, ut ea quæ ad statum regnorum atq; provinciarum Europæ pertinent, breviter & succinctè perscriberem, quibus precibus cum hucusq; propter alia atq; alia impedimẽta satisfacere non potuerim, jam demũm liberabo fidem meam, & à Daniæ regno exordiar, quod inter Europæa maritimum & magni momenti est. Hujus regni Sceptra hæreditaria non sunt, plerumq; tamen electionis jure transferuntur ad primogenitum Regis, qui juxta certam capitulationem in Coronatione Ordinibus regni antiqua privilegia & receptas consuetudines jurejurando confirmat. Novum Regem Episcopus Zeelandiæ Roschildensis inungit, cui Senatores Coronam imponunt Hafniæ sive Copenhagij in templo beatæ Virginis Mariæ. Tangit hoc Io. Sleidanus in Illustr: Hist. Philippi Cominæi. Dania maioribus utitur privilegiis: Nam etiamsi multi sint filij regis, jure tamen successionis ad principatum ex ijs nemo admittitur, & totum ex arbitrio Procerum ac Ordinum pendet, sicut ipsorumet scripta te-

ſtantur. *A Chriſtiani ſive, ut Dani loquuntur, Chriſtierni I. temporibus, qui ex illuſtri familia Comitum Oldenburgenſium anno 1448. regno præfectus eſt, nemo ex filiis vel agnatis Regum præteritus legitur. Noſtro ſeculo Chriſtianus IV. authoritate ſuâ effecit, ut ipſo vivo filius primogenitus pro ſucceſſore declaratus fuerit, qui tamen ante patris obitum vitâ functus eſt, adeò, ut rerum ſumma ex unanimi Procerum conſenſu ad ejus fratrem, Fridericum III quondam Archiepiſcopum Bremenſem, pervenerit. Talis Regis primogenitus regno deſtinatus & communi Senatorum ſuffragio electus peculiari nomine* Princeps *appellatur: reliquis fratribus Ducum & Hæredum Norvvegiæ titulus tribuitur.*

Norvvegici Regni, quod Danico ultra duo ſecula per matrimonium Reginæ Margaretæ cum Haquino Rege Norvvegiæ conjunctum fuit, alia ratio eſt; Poſſident hoc moderni Reges lineæ Oldenburgicæ pro hæreditario, ut his deficientibus ad Holſatiæ Duces devolvatur, qui omnes Regni Norvvegici Hæredes in titulis ſeſe profitentur. Forma regiminis commoda & pro gentis moribus apta ſatis eſt, univerſis provinciis in certas præfecturas Danicè Herrit *diſtinctis, quibus præſunt judices legum Danicarum periti; Neq; enim ex jure Iuſtinianeo vel Canonibus Pontificiis deciduntur ſubditorum controverſiæ, ſed ex ſolo Corpore legum Danicarum, quod juſſu Waldemari I. Regis compilatum perhibetur, ideòq; pro Iureconſultis & Advocatis ſterilis vel nulla propemodum in hoc regno meſſis eſt, cùm omnia ex patriis legibus dependeant. Ex omnibus*

pro-

provinciis atque insulis ad Regni Cancellarium appellare licet, si lata sententia videatur habere aliquid iniquitatis, postea ad ipsum Regem & Regni Senatum provocatur. Superioribus seculis bello maximè celebris fuit Danica natio, adeò ut Suecis, Anglis, Scotis, Irlandis, vicinisq; populis sæpiùs imperaverit, Suecos tamen vice versâ Daniæ exercitus in diversis præliis superasse, atq; universum regnum aliquando sibi subjecisse certum est. Ex vario atq; inconstanti hoc regimine, dum uterq; populus præteritorum memoriam non facile potuit deponere, natum esse conjicio mutuum odium harum gentium, quòd etiamnum durat, ut hac in parte à Gallis & Hispanis parum differant. Enimverò non semper libera, sed quondam Imperio Romano Germanico subjecta fuit Dania, adeò ut toto Ottonum tempore Cæsaribus fidelitatem & homagium præstiterit. Petrus, Daniæ Princeps à Friderico I. Imperatore Coronam & Regij honoris ἄξιωμα eâ lege consecutus est, ut fiduciarium se Imperij Germanici profiteretur; Sed in hoc graviter ipsum peccasse censet alicubi Bodinus, cujus verbis non pigebit recitare ex cap. 6. Method. Histor. Imperij Danici conversiones: Eodem tempore, quo Pyastus in Polonia, Carolus Magnus in Gallia, Nicephorus in Græcia Imperium inierunt, simul quoque Gotricus Daniæ regnum armis ac legibus stabiliit, ab eoque ad Nubam (*error est, Gormonem III.* Gamle *appellatum voluit dicere*) regnatũ est annos 140. tum Henricus Auceps, Imperator Germanorũ, regnum illud in provinciæ formã redegit, sed cum ab Imperio posteà Dani descivissent,

 rursus

rursus ab Ottone victi sunt, atque iterum rebellarunt Suenone Rege, qui à Waldemaro fratre ejectus est, à quo regnum successione delatum est anno post 211. ad Margaretham, quæ Daniæ, Sueciæ ac Norvvegiæ præfuit Imperiis, & quæ Pomeraniæ Ducem (*Ericum X.*) adoptavit, trigesimo quinto post anno Engelbertus à Danis deficiens Sueciæ regnum invasit, quod postea civili seditione coactus reliquit; Rursus triplex illud regnum unius Imperio Bavari (*Christophori III. Bavariæ Ducis*) paruit; Post hunc Christianus I. electus est, à quo cæteri consequẽtes ad hæc usq; tẽpora imperarunt. *Hic est ille Gotricus seu Gothofredus qui Caroli Magni adventu & armis perterritus insigne vallum* Danevvircke, *cujus hodieque supersunt vestigia, prope Slesvicum anno quasi 808. excitavit, quod à subsequentibus Regibus adversus hostium incursiones non semel restauratum est.*

Hodiè, excepto Holsatiæ Ducatu, Rex sui juris est, & neminem recognoscit superiorem; In hoc regno complures sunt nobilium familiæ illustres & perantiquæ, sanè Urorum *nomen extat in vetustissimis documentis, quæ ad Caroli Magni tempora pertingunt.*

Non pauci bonis literis dederunt operam egregiè, inter quos eminet Tycho Braheus, rerum Astronomicarum solertissimus Indagator, qui in Huena insula freti Danici maximo commodo Reipubl. plurima antiquis & recentioribus incognita produxit in lucem, ut propter exquisitam hanc peritiam Rudolpho Cæsari gratissimus fuerit. Nulli Duces, Comites vel Barones in hoc regno reperiuntur, cùm nemo sublimiorem dignitatem affectet, sed omnes sola Nobilitate

tate contenti vivant, quorum bona in universum hereditaria, neq; ullâ feudali qualitate affecta sunt. Lege Imperij prohibetur Rex talia sibi comparare à Nobilibus, ne inter ipsum & Regni proceres ex hac causa lites & controversiæ nascantur. Ea autem prædia, quæ Danica voce Verlehungen *appellantur, quasi ex privilegio Nationis à Rege concedi solent Nobilibus de Republ. benè meritis ad vitam vel certos annos duntaxat. Observarunt Politici proventus Coronæ hoc modo valdè imminui, cùm Rex de prædiis istis non disponat liberè, sed teneatur ea conferre Nobilibus, qui magnâ parte redituum sibi retenta certam summam ærario exhibent. Universi Regni Danici Senatus, qui ex viginti octo Nobilibus constat, propter Regis præsentiam pro expediendis negotiis Status perpetuò est in Hafniensi civitate, atq; hi Senatores maximâ pollent authoritate ab aliquot seculis, adeò ut Rex absq; illorum consensu neque fœdera cum exteris inire, neque bella aliis inferre, neque quicquam à bonis Coronæ alienare, neque antiquas leges immutare, neque tributum à subditis possit exigere. Peculiaribus etiam Constitutionibus cautum est, ut magni alicujus criminis accusator non nisi observatis certis quibusdam solennitatibus condemnare queat; Illi ipsi Senatores habent beneficio Regum peculiares arces & agros, ex quibus reditibus tenentur alere certum equitum numerum, & Regi, cum opus est, in subsidium submittere. Ad hunc nobilium ordinem referendi sunt Equites Aurati, qui è collo suspensum gerunt Elephantem, gemmis & lapillis pretiosis exornatum, cujus dignitatis origo non admodum vetusta est.*

Clericum

Clerum Danicum constituunt Archiepiscopus Lundensis in Sconia & nonnulli alij Episcopi, Roschildensis scilicet in Zeelandia, Odenseensis in Funia, Falstria, Langelandia aliisq; minorib. insulis, Ripensis, Arnhusanus, Wiburgensis, Alburgẽsis & Slesvicensis in utraq; Iutia, Septentrionali & Meridionali, qui in suis diœcesibus vix majori potestate utuntur, quàm Superintendentes Evangelicorum in Germania. Antiquissimis temporibus longè ante receptam Augustanam Confessionem, quod sub Friderico I. factum est, soli Reges, sicut hodieque fit in Gallia, Episcopatus, & Prælaturas absque consensu Pontificum Romanorum contulerunt; In ritibus sacris sequuntur Dani Ecclesias inferioris Saxoniæ, quorum locorum Episcopi Christianam religionem terris hisce primi intulerunt, sicut apparet ex vita & rebus gestis S. Ansgarij, quem devictis Saxonibus Carolus Magnus summa cum potestate Septentrioni & Ecclesiæ Hamburgensi præfecit. Olaus Wormius lib. 1. Fastorum Dan. cap. 9. Historias gentis nostræ fide dignas si evolverimus, reformationis fundamenta jacta esse anno Domini 826, memorant pleræque. Circa id enim temporis, teste Crantzio, Haraldus IV. dictus Klack, qui à Regnero in exilium pulsus à Ludovico Imperatore hac conditione restituendus erat, ut abrogato Idolorum cultu, vero Deo & Christo nomen daret, reformationis negotium aggressus est. *Permisti Christianis in Dania manserunt Ethnici ad Imperium Haraldi Blatandi ultra annos 160. Henricus Alstedius in Chronol. conversionis populorum ad annum 989.* In Dania, *inqiut*, superstitiones Ethnicæ prorsus extirpantur Haraldo V. regnante, ante cujus tempora Dani pleri-

pleriq; promiscuè religionem Christianam & Ethnicam colebant.

Habet Dania duas Academias sive Scholas majores, Hafniensem, quæ anno 1478. à Christiano I. consentiente Sixto IV. Pont. Max. erecta est, & Equestrem Soranam in eadem Zeelandia, quam maximè pro Nobilibus Danicis, ut equis armisque tractandis assuefierent, Christianus IV. instituit. Daniæ Regnum, extra Norvvegiam, Islandiam, Groenlandiæ partem cognitam, multis magnisque provinciis continetur, Scandia, insulis maris Balthici & Cimbrica Chersoneso sive Jutlandia, quam veteres Daniam Cismarinam appellarunt. Quicquid enim Daniæ Reges in Holsatiæ Ducatu possident, hoc omne ab Imperio Germanico in feudum recognoscunt. Regni Norvvegici metropolis est Drunthemium, civitas quondam sede Archiepiscopali celebris, qui districtus cum Bahusio, fortalitio penè inexpugnabili, in nupera Transactione Roschildensi anno 1658. die 29. Februarij, Carolo Gustavo, Sueciæ Regi, concessus est. Reliqua regni Norvvegici etiamnum parent Daniæ Regi cum Berga civitate, quam mercatores Hansæ-Teutonicæ frequentant, imprimis pro coëmendis piscibus ex genere asellorum vento & frigore induratis. Ante paucos annos in hoc regno repertæ sunt venæ argenti divites sanè & puriores, quàm alibi in Europa. Rex in fodinis utitur servitio rusticorum, à quibus plures alias occultari verisimile est, ne ipsorum operæ augeantur. Ex Nerigone, seu Norvegia, navigari in Thulen, hoc est, ultimam insularum Britannicarum Romanis cognitam, tot retro seculis Plinius tradidit. Hodierna Islandia, à perpetua glacie & immensis frigoribus ita dicta, Thule remotior est, quæ Norvegiæ regno an-

 no 1260.

no 1260. accessit. Diu neglectam & ante annum 874. à nulla gente inhabitatam fuisse reperio.

Incolæ ex sulphuris copia magnum lucrum capiunt, quam suppeditat Hecla mons, cum Vesuvio hac in parte comparandus. In Norwegiam Daniæ Rex Proregem seu Vicarium ex præcipua nobilitate ad aliquot annos, in Islandiam verò quotannis mittit Gubernatorem pro colligendis reditibus.

Groenlandiæ partem cognitam ad Danos pertinere indubitatum est: Mare contiguum ex balænarum captura innotuit; Hactenus detectum non est, insula, an terra continens sit cum America, ulterioribus navigationibus impeditis propter mare glaciale. Scandia omnis, id est, Hallandia, Sconia, propriè sic dicta, & Blekingia olim Danicæ, nunc per tractatum Roschildensem Suecicæ jurisdictionis est. Ex harum provinciarum portubus, ad mare Balthicum positis, & præcipuè ex castello Elsenburgensi, navigantibus per Sundum seu fretum Danicum maximo impedimento esse potest Sueciæ Rex, postquam in opposito littore Cronenburgum occupavit, arcem fortissimam, & à Friderico II. Daniæ Rege, magnis sumptibus adversus immanes pelagi fluctus extructam, ubi promontoria Sconiæ & Zeelandiæ tàm propè coëunt, ut vix parvi milliaris spatium inter se relinquant, ideòque naves huc transeuntes propter usum maris in vicina Civitate Helsingora telonium pendunt Regibus, quod minora navigia, si per sinum Balthicum inter Zeelandiam & Funiam iter instituant, Nyburgi tenentur solvere.

Ex hoc

Ex hoc freto Oresundico pendent multorum ora præcipuè in Belgio fœderato, cujus subditis transitus per has angustias necessarius omninò est, propter annonam, aliasq; merces, quas ex Dania, Suecia, Livonia, Polonia, Prussia, Pomerania, aliisq; circumjacentibus provinciis in Patriam deferunt. Dominium maris Balthici Daniæ Reges sibi tribuunt, idq; ad Prussiæ, vicinaque littora extendunt. Peculiari libello id demonstratum est, cùm naves Polonicæ, quæ per Spiringium à Dantiscanis vectigal exigebant, anno 1637. Hafniam jussu Christiani IV. captivæ abducerentur, qui anno sequenti die 13. Januarij Vladislao IV. Poloniæ Regi inter alia rescripsit. Paulò post mercatorum & nautarum quærelæ gravissimæ ad nos deferebantur, qui, commercia funditùs tolli, se fortunis omnibus everti querebantur, & ea propter auxilium nostrum, cùm nobis ob supremum dominium maris Balthici protectio commerciorum incumberet, suppliciter implorabant. *Cæterùm ad defendendum mare Balthicum & præcipuè fretum Oresundicum Daniæ Reges, etiam in maximis periculis constituti, non facilè admiserunt vicinorum auxilia & suppetias. Ex hoc principio Status Christianum IV. Regem prudentissimum noluisse recipere auxiliares copias Hollandorum, cùm Cæsareani insulis Danicis proximi universam Iutiam obtinerent, annotavit Carolus Carafa, Nuntius Apostolic. in Germania Sacra Restaurata p. 380. edit. Francof.* Desperatam Daniæ plagam miserantes Hollandi præcipuè Amstelodamenses, quib. felicioris fortunæ spes ex interitu Daniæ decidebat, omnem moverunt lapidē, ut mole

ſua collabeſcentem ſortem ſociorum erigerent; quo mare Balthicum & Suevicum, ubi celeberrima ac creberrima ſua habent emporia, ſervarent. Quare plures naves armarunt, & per eorum Legatum, Laurentium Realem, quondam in Indiis maris Præfectum, præſidia duorum millium ſclopetariorum Regi Daniæ, eorum impendiis alendorum, obtulerunt, per quos ipſe anguſtiis Sundæ conſuleret, ne ipſis aditus in Poloniam, Pruſſiam, Rugiam & Sueciam præcluderetur ab Auſtriacis & Hiſpanis (quod maximè cavendum arbitrati ſunt) inſuper & alios quatuor mille (Regi tamen merentes) ſubmittere promiſerunt. Sed Rex, paulò amplius fidei Hollandorum concedens quàm Cæſareanorum, tam gravia præſidia recuſavit, fretumq; Sundianum ſuis præſidiis munire contentus, promiſſas auxiliares copias alibi quidem collocandas non detrectavit, Sundâ verò illas excluſit; Nam verebatur, ne, ſi ſemel tam potentes hoſpites admitteret, etiam ab ipſis non minùs quàm Cæſareis ſuo præcipuo commodo præcipuoq; fortalitio deſtitueretur.

Inſularum maris Balthici maxima eſt Zeelandia. Hujus & totius regni caput eſt Hafnia, ſedes Regum cum adjacenti inſula Amacka, quæ portum efficit maximè ſecurum. Secunda civitas ibi eſt Roſchildia, ſepulchris Regum & proximâ pace inter Monarchas Septentrionales illuſtris. Quidam putant, Hollandos, Zeelandosq; Batavorum ex hac Zeelandia & Hallandia Sconiæ habere originem ſuam, quo inclinat vir doctiſſimus Hadr. Iunius

nius

nius, ipse Belga, quod nos in medio relinquimus. *Sequitur Funia, frumenti aliarumq; rerum feracissima insula: per mare, quod Funiam à Zeelandia separat, & Balthici pars est, eodem modo, ut per fretum Oresundicum, sed propter scopulos majori cum periculo, navigari potest in Sueciam, Poloniam, Prussiam.*

Prioribus proximæ sunt Langelandia, à longiori forma sic dicta, Falstria, Töffinga, aliæque.

Gothlandia cum Oeselia Insula per pacem Bremsebroënsem à Christiani IV. Daniæ Regis tempore Suecos pro Dominis agnoscit, maritimis negotiationibus olim clarissima. Joan. Isacius Pontanus disc. Histor. lib. 2. cap. 9. Nec illud quoque silentio involvendum erat ad laudem ac celebritatem navigationis, quâ præcipuè olim Dani excelluêre, haud leviter pertinens, quòd nauticæ leges ac jura, ut olim apud Rhodios Rhodia huic initio præfecta fuit. Certò enim constat, in urbe Wisbicensi, quæ Gothlandiæ, maris Balthici Insulæ, metropolis est, maritimas constitutiones ac leges, quæ exinde apud alias quoq; gentes in usum adactæ, primitùs fuisse constitutas. Nec id modò, sed ibidem etiam primò tabulas hydrographicas diligenti nautarum observatione annotatas, quæ postea ab aliis auctæ emendatæq; singularem usum præbuerunt navigantibus, utpote quarum beneficio cæci maris fluctus medio in oceano tutò nauta percurrat feraturque in portum propositum non longis anfractibus legendo littus, sed rectâ sæpè lineâ, si ventus ferat.

Supereſt Cimbrica Cherſoneſus, ſive ſeptentrionalis & meridionalis Jutlandia, in cujus littore, quod Funiæ proximum eſt, ante paucos annos Fridericus III. Daniæ Rex inſigne fortalitium à ſuo nomine Friderichsöde, quaſi Friderici angulum, appellatum condidit, quo expugnato præteritâ hyeme Carolus Guſtavus, Sueciæ Rex, per mare congelatum Funiam, Zeelandiam, vicinasq; inſulas cum exercitu ingreſſus eſt. Supremum Jutlandiæ Tribunal Viburgi conſtitutum eſt pro decidendis controverſiis finium, hæreditatum aliarumq́ue cauſarum civilium. Huc quoq; graviora crimina, cædes, adulteria, furta & ſimilia per appellationem ab inferioribus præfectis deferuntur. Ex hac Cimbrica Cherſoneſo olim in Britanniam profecti ſunt cum Saxonibus Angli, quale nomen certus aliquis diſtrictus Angeln *in ducatu Slesvicenſi hodieq; retinet.*

Nobis, præter Bedam in Hiſtoria Eccleſiaſtica lib.1. cap.15. adſtipulatur Joan. Jſacius Pontanus diſcuſſ. Hiſtor. lib.1. cap.9. Hic etenim ille Egbertus eſt, qui omnia illa diverſaque ab Anglis Saxonibusque occupata ac variè diviſa Britanniæ regna populosque in unum coëgit. Quippe antiquato ipſius Britanniæ vocabulo, ut ejus generis ac gentis memoria perpetuo obtineret, ſimul ut jure uno eodemque nomine univerſus conſervaretur populus, primus Britanniam Angliam, ipſamque gentem ad memoriam majorum, quos ex Cimbrica Cherſoneſo profectos jam ante memoravi, Anglos appellavit, idque ut immotum ſemperq; manſurum edicto quoque ſancitum voluit

Ad Ju-

Ad Iutiam meridionalem quæ ab Eydora fluvio oppidoq; Rendesburgo ad Coldugam extenditur, pertinet Ducatus Slesvicensis, qui regni Danici feudum est, & propriis juribus utitur, ut hîc non liceat subditis à sententiis pronunciatis extra Daniæ limites ad aliud judicium provocare. Serenissimorum Holsatiæ Ducum Regentium sedes est in arce Gottorpiensi, quæ vicinum habet oppidum Slesvicum, ubi ex testimonio Helmoldi veteris Historici prima Ecclesia Christiana in his partibus orbis Arctoi ab Ausgario constituta est. Reliqui Duces Holsatiæ in aliquot lineas distincti appanagij jure Alsenam insulam aliaque loca possident. In Germania Daniæ Rex mediam partem universæ Holsatiæ obtinet, cujus provinciæ Nobiles post Excessum Adolphi XIV. Comitis Holsatiæ & Schaumburgi Christiano I. Daniæ Regi certis conditionibus sese subjecerunt, qui hâc occasione Ducis Holsatiæ titulum à Friderico III. Imperatore primus accepit. In universa Holsatia, qui ex Stormaria, Ditmarsia, Holsatia, propriè sic dicta, & Wagria circa Lubecam & Segebergam composita est, singulis sex mensibus judicium provinciale pro decidendis controversiis Nobilium instituitur, cui quotannis per vices, modò Daniæ Rex, modò Holsatiæ Dux Regens (his indivisim parent Nobiles) præsidet, qui sæpè ipsi disceptationibus Advocatorum intersunt, quod aliquoties à laudatissimo Rege Christiano IV. factum esse memini.

Dithmarsia seu Teutomarsia inter Storam & Eydoram, fluvios, media est. Incolæ Frisicæ originis avitam libertatem diu fortissimè propugnarunt, sed à Friderico II. Daniæ Rege, & ejus sociis superati Anno 1559. hodiè quiescunt.

Comi-

Comitatus Pinnenbergicus ad ripam Albis Ottone ultimo, Comite Schaumburgensi in Westphalia anno 1640. extincto à Daniæ Regibus & Holsatiæ Ducibus occupatus est, cui sese sub initium opponebat Fiscalis Imperij.

Habet præter arcem ejusdem nominis, Altenavv vicum celebrem ante portas civitatis Hamburgensis.

Neq; hoc ignorare debes, Vir nobilissime, Daniæ Reges, & ab iis descendentes Holsatiæ Duces, tempore Caroli V. Imperatoris de utroque Comitatu, Oldenburgico & Delmenhorstano simultaneè investitos, post obitum Comitis Anthonij Güntheri æquis partibus in has provincias succedere.

Hæc de Daniæ regno, sicut volebas, pro instituti ratione breviter annotavi, proximè, si Deus vitam & otium largitus fuerit, eadem methodo Sueciæ Statum ad te perscribam.

Nolo enim in his epistolis prolixus esse & tædium tibi creare, quem scio gravissimis negotiis quotidiè distrahi. Interea vale feliciter.

F I N I S.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0015097